

tiones in Religione plurimum confisa, id quidem tantummodo ad uniformitatem. Ritus in re tam gravi isthic inducendam pernecesse putavit, ut amplitudo tua sedule curet, ne moderni Ritualis codicibus bibliopolae careant, ac in Domino singulos Rectores admoneat, ne Ritus ab Apostolica Sede novissime probatus, debita veneratione fraudari consentiant, imo ea singulari devotione, qua caeteras Romanae Ecclesiae sanctiones iidem venerantur, hasce Ritualis Caeremonias amplectantur et postea indiscriminatim et inconcusse retineant. Dum ego amplitudini tuae salutem plurimam dico.

Romae die 9. Oct. 1655.

(Ibid. p. 335.)

## RITUS.

### 1) Ambrosianus.

Vd.: *Ritus roman.* (decr. n. 4580); *Missa in aliena Eccles.* (decr. n. 4646.) *Constitutio Gregorii XI. diei 29. Nov. 1375* in Bull. rom. tom. I. p. 269.

#### Mediolanen.

In causa Mediolanen. Ritus Ambrosiani inter Illmum et Rmum D. Cardinalem Borromeum Archiepiscopum Mediolani ex una et Monachos Cistercienses s. Ambrosii Mediolani ex altera partibus, audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Farnesii, cui haec causa commissa fuerat, et vivis iuribus et allegationibus ambarum partium, non obstante resolutione alias in S. R. C. facta sub die 1. Sept. 1612 ad relationem Illmi et Rmi D. Cardinalis Crescentii, quod expectetur exitus causae pendentis in Rota inter Monachos Cistercienses et Canonicos s. Ambrosii civitatis Mediolani, eadem S. R. C. censuit audiendum esse in eadem Sac. Cong. Illmum et Rmum D. Cardinalem Borromeum Archiepiscopum Mediolani super proponendis circa Ritus Ambrosianum, praedicto decreto, litis

pendentia, exemptione et aliis pro parte monachorum oppositis non obstantibus, ne proponenda in Sac. Cong. circa observantiam dicti Ritus Ambrosiani discuti et definiri debeant; expresse quoque eadem Congregatio declaravit ex decretis occasione Ritus Ambrosiani faciendis nullum praeiudicium inferri iurium partium in Rota colligantium, neque hinc aliquod argumentum quomodolibet praeiudiciale assumi vel elici posse.

Et ita censuit et declaravit.

Die 5. Julii 1614.

(Anal. J. P. 1863 p. 131.)

#### Mediolanen.

Ad relationem Emi D. Cardinalis Brancaccii in Congregatione s. Rituum ordinaria habita coram SSmo Sanctitas Sua, auditis Fratrum sententiis et partis utriusque Capituli scilicet Canonicorum saecularium necnon Monachorum Cisterciensium iuribus mature perpensis declaravit decrevitque licere monachis uti Ritu proprio Ambrosiano monastico in Eccl. s. Ambrosii Mediolani.

Die 27. Sept. 1659.

(Anal. J. P. 1863 p. 358.)

#### Mediolanen.

*Super re assumptione Ritus romani in Ecclesia parochiali s. Alexandri.*

#### Emi et Rmi Principes.

Jam inde a mense Sept. 1857 proposita fuerunt per supplicem libellum S. R. C. a P. Praeposito generali Barnabitarum oblatum nonnulla dubia, quae dicebantur exorta esse, cum Mediolani in parochiali Ecclesia s. Alexandri denuo instauratus fuit Ritus s. romanae Ecclesiae, quem Barnabitae ipsi, quibus concreditum est tum Ecclesiae ejusdem servitium tum animarum cura inibi juncta, per duorum saeculorum

nunquam interruptam seriem usque ad innovatorias leges Josephi II. Imp. rite servaverant. Quae quidem dubia eo spectabant, ut ab eadem Sac. Cong. limites praefinirentur inter functiones stricte parochiales, quae Ritu Ambros. in altero ex minoribus altaribus ad hoc adsignato a parochio ejusque adiutoribus pro parochianis celebrantur, et inter reliquas, quae a tota Barnabitarum familia peragantur romano Ritu, qui proprius est Congregationis. Compertum autem est, Emi et Rmi Principes, ea dubia esse tantum, ut ita dicam, occasionalia, cum revera descendant ex altera controversia, quae majoris quidem momenti est, quam dubia ipsa praeseferre videantur, quod ex nonnullorum factorum serie, quam breviter exponam, clare, ut arbitror, patebit.

Inclyta Clericorum Regularium s. Pauli doctoris gentium, qui etiam Barnabitae a s. Barnaba apostolo nuncupantur, Congregatio in praeclarissima Mediolani urbe duxit ortum suum ibique prima ipsius jacta sunt fundamenta. Clemens namque VII. per literas in forma brevis: *Vota per quae*, expeditas die 18. Febr. anno 1533, Bartholomaeo Ferrari et Antonio Mariae de Zaccariis Presbyteris alteri Mediolanensi et alteri Cremonensi concessit et indulsit, ut ipsi cum tribus aliis eorum sociis professionem trium votorum substantialium religionis „omittere et insimul, sub obedientia tamen Ordinarii loci, in ipso loco (civitatis seu dioecesis Mediolanen.) per eos eligendo cohabitare; necnon pro vestro et rerum vestrarum salubri statu et directione quaecumque statuta et ordinationes rationabilia et honesta ac sacris Canonibus non contraria condere et facere illaque, ut vobis pro temporum qualitate expedire videbitur, mutare et in totum tollere aliaque illorum loco de novo facere libere et licite valeatis“ etc.

Paulus III. per apostolicas literas sub plumbo expeditas: *Dudum felicis*, 8. Cal. Aug. an. 1535 Congregationem jam institutam confirmat pluribusque iuribus ac privilegiis auget, inter quae, ut „horas canonicas diurnas pariter et nocturnas necnon Missas et alia divina Officia, simul et divisim, secundum usum et morem romanae Ecclesiae, etiam juxta breviarium noviter compilatum, ita tamen, quod cum publice ea recitaveritis, vos invicem conformetis in Ecclesia dicere et recitare ... et ad alium usum super hujusmodi horis, Missis et Officiis dicendis observandum minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti compelli valeatis.“

Idem summus Pontifex Paulus III. per alias similes literas: *Pastoralis Officii*, datas Cal. Dec. 1543 praecedentium literarum concessionem confirmat et in perpetuum extendit, ita ut „de caetero perpetuis futuris temporibus sub solito et communi habitu clericali, subque nomine et nuncupatione Clericorum Regularium in communi et de communi viventes sub nostra et ejusdem Sedis humili et devota subjectione ac speciali protectione in unum habitare“ etc. possent.

Cum autem morte praereptus novissimas literas privilegia jam concessa ampliantes Paulus III. expedire non potuisset, Julius item III. per apostolicas literas: *Rationi congruit*, datas 7. Cal. Martii 1550, apostolica auctoritate decrevit, quod absolutio, extensio, ampliatio, posterior concessio et indultum hujusmodi a die 8. Idus Martii suum „sortiantur effectum, perinde ac si super illis ipsius Pauli praedecessoris literae sub eadem die confectae fuissent, prout superius enarratur, quodque“ etc.

Sic institutae familiae Clericorum Regularium s. Pauli Mediolanensi Sixtus V. per literas in forma brevis expeditas: *Piis fidelium votis*, idibus Feb. 1588, quarum per PP. Barnabitas exhibitum

est exemplar, quod transcriptum fideliter dicitur ex simplici exemplari existenti in tabulario provincialitio Longobardiae, concessit „dictam Ecclesiam (s. Alexandri) ... nomine titulo et denominatione rectoris in ea perpetuo suppressis et extinctis, cum illius domibus, aedificiis, adhaerentiis, juribus et pertinentiis suis universis Congregationi praedictae pro usu et habitatione unius praepositi et octo ad minus Clericorum et Presbyterorum ac trium conversorum dictae Congregationis, ita quod liceat illis corporalem, realem et actualem ipsius Ecclesiae s. Alexandri iuriumque adnexorum et pertinentiarum suarum quarumcumque possessionem per se, per alium seu alios eorum ac etiam Congregationis huiusmodi nomine propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, curamque animarum parochianorum dictae Ecclesiae s. Alexandri per unum ex Presbyteris Regularibus Congregationis huiusmodi pro illius superiorum arbitrio deputandum et amovendum, ac ab eisdem superioribus et loci Ordinario approbatum et idoneum repertum exercere et alias eidem Ecclesiae s. Alexandri in divinis deservire, nec non fructus, redditus ... in suos usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita; cum onere praedictae curae auctoritate nostra perpetuo unias, annectas et incorpores (litterae directae sunt vicario Archiep. Mediolanensi in spiritualibus) ac in Ecclesia praedicta s. Alexandri ejusque domibus ac aedificiis et adhaerentiis praedictis unam domum formatam dictae Congregationis juxta illius Ritus et instituta regendam“ etc.

Super quibus literis id obiter notandum occurrit, Ritus et instituta Congregationis ita generaliter observanda praescribi, ut ne pro functionibus quidem ad curam animarum

pertinentibus, de qua tam frequenter in his literis Sixti V. sermo est, exceptio fiat.

Praemissa hac factorum historia redeundum nunc est ad supradicta dubia P. Praepositi generalis Clericorum Regularium s. Pauli. Super quibus, si quaeratur, quaenam fuerit causa occasionalis ut proponerentur, scire juvat Praepositum provincialem Barnabitarum, ineunte anno 1856, preces exhibuisse Illmo et Rmo Mediolanen. Archiepiscopo, in quibus, gratis eidem ex corde actis, quod Vicario suo in spiritualibus generali in mandatis dedisset, ut Barnabitis concederetur canonica instauratio in Ecclesia et paroecia ad s. Alexandr. Mediolani, quae post restitutionem Ordinum Regularium data ipsis adhuc non fuerat, nonnulla decerni ab ipso humiliter postulabat, inter quae n. II.: „Che questa cessione della chiesa e parrocchia di s. Alexandro si intende fatta conforme à cio che i sacri canoni prescrivono intorno alle chiese dei regolari con cura di anime, e quin di gli oggetti e le funzioni parrocchiali avranno la proporzione che ebbero sempre sotto i Barnabiti in quella chiesa dal 1589, sino alle innovazioni di Giuseppe II. et hanno tuttora nella loro chiesa parrocchiale di Roma, in piena conformita alla bolla, *Firmandis*, di Benedetto XIV.“ Quae postulata cum benigne excepisset Illmus et Rmus D. Archiepiscopus, annuit quoad omnia per amplissima verba rescripti: *Millano 16. gennaro 1856. Si accorda quanto venne domandato, Bartholomeo Carlo arcivescovo di Milano.*

Interea, dum Pater Praepositus generalis Congregationis sacrum, ut sui muneris est, perageret familiarum sibi subjectarum visitationem, in Collegio Mediolanensi degens decretum concinnavit die 30. Aug. 1857, quo variis deductis rationum momentis et prae-

sertum ultimo loco, *declaratoria sententia seu concessione ab Illmo ac Rmo D. Archiepiscopo Mediolanensi emissa die 16. Januarii 1856* declaravit, Ritus S. R. E. jam tum instauratum in ea s. Alexandri Ecclesia intelligi debere, qui propterea *semper*, ait, *etiam imposterum a sodalibus nostris adhibendus erit tam pro missarum celebratione et canonicarum horarum publica, cum fiat, recitatione, quam pro aliis omnibus sacris obeundis functionibus, exceptis dumtaxat mere parochialibus, quae juxta communioem hujus dioecesis Ritus, quem Ambrosianum dicunt, fieri de more pergunt.* Pro quibus parochialibus functionibus ambrosiano Ritu peragendis illud ipsum altare assignavit, quod alias ad eas destinatum fuisse constare affirmabat et designandum insuper jussit alterum ex sodalibus Sacerdotibus, qui Caeremoniis, choro et sacrario praeficeretur.

Edito huiusmodi decreto Praepositus generalis nihil profecto dubitans, quin decretum idem executioni mandari posset, quia praesertim Archiepiscopi Mediolanensis per enunciatum rescriptum 16. Jan. 1856 auctoritas accesserat, de functionibus mere et stricte parochialibus definiendis praecipue sollicitus fuit. Atque hinc factum esse arbitror ut ipse, seu quod difficultates et contrarias opiniones inde orituras praevideret, seu quod necessarium revera duceret S. R. C. interventum, ne justis limitibus excederentur, supplicem libellum in eunte mense Septembri, de quo initio facta est mentio, exhibuit, quo practicum earumdem sacrarum functionum exercitium definiri petiit.

Non ita autem, ut erat in votis P. Praepositi generalis, gesta res est. Dum enim Romae consulebatur, Mediolani difficultates parabantur. Et dum

propositis dubiis solvendis manus admovebatur, in medium prodiit libellus sub die 15. Oct. 1857, quo Archiepiscopus Mediolanensis querimonias, scandalorum pericula aliaque religionis damna, quae sequerentur, si a Barnabitis Ritus romanus in Ecclesia parochialis s. Alexandri reassumeretur, longa oratione exponens, supplex Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX. rogat obtestaturque „ut indulgere dignetur, *quatenus opus sit*, ut in praedicta Barnabita Ecclesia parochiales omnes functiones Ambrosiano Ritu ab ipsis religiosae familiae sodalibus celebrari adhuc possint et illae pro parochialibus functionibus intelligantur, quae exceptis horis canonicis in aliis quoque parochialibus Mediolani Ecclesiis habentur pro generali paroecianorum bono et illae praeterea, quae fiunt erogata a paroecianis elemosyna, comprehensis aniversariis pro defunctis.“

Nec multum interfuit, ut parochianorum querelae, quas Archiepiscopus praenunciabat, proferrentur. Supplex namque libellus a nonnullis tum foeminis tum viris, spectatissimi quidem nominis et professionis, obsignatus sub die 3. Martii mox elapsi exhibitus est, quo variis deductis argumentis declaratur, parochianorum, qui numerum octo millium hodie exaequant juri, devotioni, quieti, paci atque ipsorum Barnabitarum tum publicae tum privatae aestimationi non aliter prospici posse, quam si functiones sacrae in Ecclesia s. Alexandri ambrosiano penitus Ritu, quaequomodo in reliquis Mediolani paroeciis, peragantur etiam a Barnabitis. Quod faciendum esse affirmant sive ex consuetudine pluribus ab hinc annis in ipsa Barnabitarum Ecclesia jam inducta, ex qua fidelium oculi ambrosiano Ritui assueti sunt, sive ex apostolica, quam Oratores ipsi vehementer exoptant,

dispensatione. Cujus libelli foliorumque inibi adnexorum tenor inspicitur.

Ex quibus probe intelligitis, Emi et Rmi principes, quaestionis faciem immutatam omnino esse, neque amplius hic locum esse praefiniendi, quaenam stricte et substantialiter, quaenam late et veluti accessorie parochiales functiones, prout initio exponebatur, habendae ac reputandae sint. Hodierna quaestio in longe majores, ut dicunt, proportionem excrevit et sub alio prorsus aspectu est respicienda, ut iudicium de ea feratur. Ex iis enim, quae fuso calamo a Rmo Archiepiscopo exponuntur, et ex aliis petitionibus, quas modo exposui, id consequeretur, ut in Ecclesia s. Alexandri parochiales functiones ambrosiano Ritu celebrandae non iis amplius possint concludi limitibus, qui in Archiepiscopali rescripto diei 16. Jan. 1856 et in successivo decreto in actu s. visitationis a P. Praeposito generali edito die 30. Aug. 1857 praefiniuntur, quemadmodum in ipso primo Barnabitarum in eam parochialem Ecclesiam ingressu servabantur, sed ad omnes omnino functiones extendantur, romano Ritu intra cancellos Barnabiticæ domus relegato. Sane Rmus Archiepiscopus, multis deductis rationum momentis, quae recensentur, quaestionem uno veluti ictu e radicibus evellere satagit, dum e medio sublatis per apostolicam, quam petit, si opus est ut ipse ait, dispensationem, quae Barnabitaeproferunt, juribus romani Ritus adhibendi; Ecclesiam s. Alexandri non alio Ritu debere postulat nisi Ambrosiano, ita ut Barnabitis aut nullus pene Ritus romanus supersit aut intra eorum solummodo domum arcus profectus finibus coerceatur. Hinc prodit quaestionis status: an scilicet Ritus Ambrosianus in Ecclesia s. Alexandri limitari debeat in functionibus mere parochialibus, ut ante annum 1789, quae

a paroco ejusque in cura animarum coadjutoribus in altero ex minoribus altaribus ad id designato peragebantur, an potius idem Ritus, relicto romano, sit exclusive adhibendus ex apostolica saltem dispensatione ab omnibus Barnabitis in Ecclesia publicas functiones exercentibus. Primum sibi tuentur Barnabitaeproferunt, alterum postulat Metropolitanus antistes pluribus ac gravissimis deductis rationum momentis et enixe parochiani efflagitant.

Non parvi certe momenti est hujusmodi quaestio, in qua certant hinc ex parte Barnabitarum jus, privilegia, obligatio et recentissima quoque Archiepiscopalis concessio et inde ex parochianorum parte obstacula, quae ad impediendum rerum praedictarum effectum proferuntur. Pro ea idcirco solvenda quandoquidem mihi demandatum est meam proferre sententiam; duo investiganda esse videntur; alterum scilicet, quid juris simul et facti circa Ritus romanum in parochiali Ecclesia s. Alexandri Mediolani sibi vindicare Barnabitaeproferunt; alterum, quantum et quomodo Rmi Archiepiscopi et spectatissimorum civium sub ea paroecia commorantium postulationibus sit indulgendum. Sinite itaque, Emi et Rmi principes, ut nonnulla super utroque, summis veluti labiis attingam, pauca quidem, quia, quae Barnabitas respiciunt, magna ex parte ex iis descendunt, quae paulo ante exposui.

Et prima nonnulla dicam de bono jure, quo substantari se dicunt Barnabitaeproferunt collegii Mediolanensis, ut ipsi non alium quam romanum Ritus, tam in publicis quam in privatis functionibus, exceptis tamen mere parochialibus, adhibeant. In quo quidem parum certe adlaborandum mihi est, si ea recolantur, quae paulo ante per historicam factorum seriem in medio attuli. De quibus id unum dicendum

restat, quod, sive spectentur apostolicae Constitutiones, unde ea hausta sunt, sive clarissima et apertissima verba et formulae, quibus declarantur, tamquam indubia documenta habenda sunt. Novi quidem ea non modo non impugnari sed etiam apertis ulnis admitti, iisque satis consultum iri per apostolicam, quae petitur, dispensationem. Sed adamussim in dispensationibus largiendis major certe ac minor difficultas plerumque obvenit ex majori vel minori obligatione, a qua est dispensandum et a graviorebus vel levioribus momentis, quae ad dispensationem inducere possunt.

Ex apostolicis itaque constitutionibus constat primo: Congregationem Clericorum Regularium s. Pauli in civitate et dioecesi Mediolanensi legitime jam ab anno 1533 institutam fuisse (ex brevi Clementis VII.); secundo: eam in unum habitare sub Sanctae Sedis Apostolicae humili et devota subjectione ac speciali protectione (ex literis Pauli III.); tertio: usum et morem Romanae Ecclesiae in horis canonicis, in Missis et aliis divinis Officiis ita proprium esse Barnabitarum, ut ad alium usum observandum nec teneantur nec inviti ad id a quoquam compelli possint (ex aliis ejusdem Pauli III. literis); quarto: eisdem perpetuo concessam Ecclesiam s. Alexandri cum illius domibus, aedificiis necnon animarum curam in eadem Ecclesia, per unum ex Presbyteris Regularibus exercendam; et in ea ejusque domibus ac aedificiis etc. unam domum formatam dictae Congregationis juxta illius Ritus et instituta regendam (ex literis Sixti V.). Quis autem sit Ritus, quaenam sint instituta Clericorum Regularium s. Pauli, aperte indicant eorum Constitutiones, a quibus absolute praecipitur, ut ipsi, nulla adhibita locorum vel temporum distinctione, *Missam celebrent et horas*

*canonicas recitent ad praescriptum Missalis et Breviarii Pii V. jussu editi.* Dignum autem notatu est, videri quidem praedictos Pontifices ideo in suis literis irslitisse Barnabitis pro Ritu romano, ne ex eo, quod Mediolani primum erecti et instituti sunt, suspicio alicui suboriri posset ex loco eorum institutionis et mansionis eos ad Ritus Ambrosianum sequendum teneri.

Ex quibus omnibus dubitari non posse videtur de bono jure, quod suffragatur Barnabitis Collegii s. Alexandri adhibendi Ritus romanum in ipsa urbe Mediolani, imo in ipsa parochiali Ecclesia s. Alexandri.

Neque est silentio praetereundum, allata documenta non jus et privilegium modo sed et obligationem quoad Ritus romanum sequendum Barnabitis in civitate aut dioecesi Mediolanensi degentibus, neque ipsa parochiali Ecclesia exclusa, quodammodo inducere.

Neque minus ipsis suffragatur factum seu practicum pacificum ejusdem boni juris exercitium. Compertae enim et exploratae rei loco est, Clericos Regulares s. Pauli jam tum ab ipso bene eorum fundationis initio tum in primaeva, quae ipsis concessa fuit, tum in altera, quam ipsi ampliori forma, ut nunc visitur, suis sibi sumptibus aedificarunt, Ecclesia s. Alexandri in recitatione divini Officii, in celebrandis divinis mysteriis et in aliis omnibus ecclesiasticis functionibus Ritu romano, qui proprius est eorum Congregationis, nemine contradicente, usos esse, praecipuis anni festivitibus minime exceptis, neque benedictione candelarum aut cinerum aut palmarum, neque nocte Nativitatis D. N. J. C., neque festo Ecclesiae titulari, neque feriis V., VI. et Sabbato hebdomadae majoris, in quibus Superior pro tempore seu alter ex Clericis

rite ab eo deputatus solemnnes exercebat functiones. Dixi, *nemine contradicente*, neque ipso scilicet parochio ad curam animarum deputato, qui Rituali Ambrosiano in sacramentorum tantum administratione aliisque *mere et de jure parochialibus* functionibus in peculiari ad id destinato altari utebatur.

Quae quidem praxis per ducentorum annorum non interruptam seriem vixit, ab anno scilicet 1588, quo praesule Gaspare Visconti, immediato s. Caroli Borromaei in Archiepisc. Mediolanensi successore, benigne amanterque juvante, in perpetua possessione paroeciae s. Alexandri Barnabitaee immissi sunt per apostolicas literas Sixti V. supra enunciatas, usque ad an. 1788 seu usque ad innovationes inductas in rem ecclesiasticam a Josepho II.

Tunc primum ab exercitio Ritus romani Barnabitaee turbati aliquantulum coeperunt, quia compulsi sunt Ambrosiano Ritu peragere nonnullas alias functiones, quae parochiales stricte non sunt, quod factum est usque ad annum 1810, quo per Regularium Ordinum suppressionem Barnabitaee exturbati cum aliis ab instituto et familia privatam vitam, non in communi et de communi, ut apostolicae Constitutiones jubebant, ducere coacti sunt. Nihilo tamen minus eo etiam tempore a curia Archiepiscopali illi animarum curae provisum est per sodales Barnabitas a vita religiosa avulsos. Rebus compositis anno 1825 ipsi quoque Barnabitaee tum in communi Clericorum Regularium vita tum in paroecia s. Alexandri regenda, tamquam familia regularis, restituti fuerunt cum eadem limitatione tamen quoad Ritu romanum, quae post innovationes Josephi II. illis jam obtigerat. Atque utinam intra hos limites sese res continuisset! Nam anno 1830, jubente Cardinali Archiepisc. Carlo Cajetano de Gajsruchi,

factum est „ut omnes prorsus publici cultus functiones non nisi Ambrosiano Ritu, quemadmodum in aliis parochialibus Ecclesiis, habendae essent, atque ita Regularibus eam Ecclesiam s. Alexandri deservientibus Missae tantum privatae et choralis canonicarum horarum recitatio juxta romanum Ritu permitteretur.“ Cujus mandati Archiepiscopalis eam causam fuisse ferunt, quod cum eo anno 1830 festum Annunciationis B. M. V. inciderit in una ex feriis VI. quadragesimae, quibus juxta Ambrosianum Ritu toto quadragesimali tempore Missae non celebrantur, curia Archiepiscopalis aegre tulerit, plures Missas celebrari, prout romanus Ritu ferebat, in Ecclesia s. Alexandri, ad easque audiendas maximum affluxisse fidelium numerum.

Quidquid autem de hoc sit, ea, quae mox enunciata sunt tum circa pacificum romani Ritu exercitium in Ecclesia s. Alexandri pro parte Barnabitarum per ducentos integros annos, cum circa imminutionem ac postremo circa cessationem ejusdem, tamquam explorata merito habenda sunt, praesertim cum de iis non modo nihil in contrarium afferatur in folio Illmi et Rmi D. Archiepiscopi Mediolanensis, sed etiam luculentissime asserantur: quare licet admittam, *negandam non esse Barnabitaee Congregationi facultatem celebrandi in s. Alexandri Ecclesia solemnnes quoque functiones romano Ritu etc.*

Quae cum ita sint Praepositus, generalis Clericorum Regularium s. Pauli secum animo reputans familiam Mediolanensem a pacifica possessione exercitii Ritus romani per vim exturbatam esse primo, aliqua in parte anno 1788, ac deinde omni ex parte anno 1810, nulla intercedente, quod ipse sciat, apostolica facultate, quae necessaria omnino fuisset, ratus est, eandem familiam, cum primum sibi

licuit, anno 1857, ipsa Archiepiscopi Mediolanensis auctoritate et placito scriptis intercedente, in nativum atque originarium Ritu romanum restitui ac reintegrari non solum potuisse jure, pene dicam postlimini, sed et stricte debuisse, ob injunctam eidem hanc obligationem a literis apostolicis nuper enunciatis summorum Pontificum Pauli III., Julii III. et Sixti V. et a propriis Constitutionibus. Quod necessario etiam faciendum esse contendit, quia, si Clericis illius familiae Ecclesiam s. Alexandri servientibus Missae tantum privatae et choralis canonicarum horarum recitatio juxta romanum Ritu permitteretur, ut factum est ab anno 1830, vitari non posset ea Ritu promiscuitas, quae est a Sancta Sede in orientalibus praesertim reprobata per literas encyclicas sapientissimi Pontificis Benedicti XIV.: *Allatae sunt* \*).

Et haec sufficienter quoad jus, quoad exercitium et quoad obligationem Clericorum Regularium s. Pauli Collegii Mediolanensis pro non alio Ritu quam romano in Ecclesia s. Alexandri in functionibus, quae parochiales non sunt, adhibendo. Dicam nunc de altero, quod proposui: *An, scilicet, et quantum et quomodo* in partes Illmi et Rmi Metropolitanis Antistitis sit hac in re abeundum? Is supplici dato libello nonnullorum factorum seriem exponit, ac deinde ait, paroeciam a Barnabitis administratam, quae ante Josephum II. vix mille animas complectebatur, in octo millia eoque amplius modo crevisse. Quae circumstantia ideo ab Archiepiscopo, ut arbitrator, exponitur, ut nimirum patere, multos offensum iri in re assumptione Ritus romani in parochiali eorum Ecclesia; ait insuper paroeciae ejusdem adeo numerosae extensae servitio ob exiguum reli-

\*) Vd. *Ritus graecus*.

giosorum numerum, Barnabitas auxilio indigere Presbyterorum saecularium, qui profecto Ambrosiano Ritu functiones peragere debent; Ritu Ambrosianum ab instaurata religiosa familia in ea paroecia adhibitum fuisse primum pro iis tantum functionibus, quae religiosi sodalitatii propriae non essent, ac deinceps pro omnibus, quae publici essent cultus, Missis tantum privatis et chori canonicarum horarum recitatione exceptis. Vix autem e suggesto, vertente ad finem anno 1857 proclamatum est generalitum decretum die 30. Aug. (quo romanus Ritu instauratus in ea Ecclesia denunciabatur), significat maximas excitationes esse quaerelas, magnam animorum concitationem in universa paroecia exortam, ingentes numero tum verbales tum scriptas reclamaciones Vicario generali, Metropolitanae Capitulo sibi quae ipse e parte etiam omnium tam generis nobilitate quam censu et muneribus praecipuarum familiarum oblatas esse et ad nonnulla etiam facta vel ventum esse vel timendum ne procedatur, quae ab eodem exponuntur. „Quare, subjungit, cum Praepositus generalis Barnabitaee Congregationis Mediolano jam discessisset, domus Praeposito ad s. Alexandrum notum feci, meum esse animi Consilium, ne parochiales omnes functiones Ambrosiano Ritu obolendae essent, atque eas esse intelligendas parochiales functiones, quae aliis omnibus parochialibus urbis Ecclesiis ad communem aedificationem, sive ex lege sive e probata consuetudine celebrentur, curandum esse, ut ad quasvis turbas vitandas ita fierent interdum, neque Apostolicam Sedem humiliter rogaturum, ut huic agendi rationi venia sua tribueret facultatem. (Hujusmodi forsitan epistolae a Vicario generali, nomine Archiepiscopi, conscriptae extat exemplar.) Quare, licet admittam negandam non esse Barna-

biticae Congregationi facultatem celebrandi in s. Alexandri Ecclesia solemnes quoque functiones romano Ritu, tamen nomine omnium paroecianorum, atque ut ferventibus eorum votis satisfiat, eorum queremoniae sapiantur, scandalorum removeantur pericula aliaque religionis damna vitentur, supplex a Sanctitate Tua rogo obtestorque, ut indulgere dignetur, quatenus opus sit, ut in praedicta Barnabistica Ecclesia parochiales omnes functiones Ambrosiano Ritu ab ipsis religiosae familiae sodalibus celebrari adhuc possint et illae pro parochialibus functionibus intelligantur, quae, exceptis horis canonicis, in aliis quoque parochialibus Mediolani Ecclesiis habentur pro generali paroecianorum bono et illae praeterea, quae fiunt erogata eleemosyna, comprehensis anniversariis pro defunctis."

Gravissima sane ac maxima sunt, quae exponuntur, ut vehementer ab iis commoveri opus sit, mirum tamen videri potest, tales ac tantas turbas excitare potuisse apud Mediolanenses, quibus novum non est, romanum Ritu non multis abhinc annis partialiter adhibitum fuisse in Ecclesia s. Alexandri. Mirum, quod eae reclamations a parochianis oblatae etiam sint, ut dicitur, Capitulo Metropolitano.

Licet autem ea sit cujusque populi conditio, ut ex ipsa specie alicujus circa res sacras innovationis facile commoveatur ac perturbetur, ea tamen mihi arridet circa Mediolanensem populum opinio, ut, cum sit ipse ad omnem animi culturam optime informatus, sperandum firmiter sit, ut ipse rem hanc, ratione potius duce quam vehementiori animi ardore consideret. In quam spem eo firmiter adducor, quod, dum Praepositus provincialis Barnabitarum Archiepiscopus rogabat, anno 1856 „che questa cessione della chiesa e parrocchia di s. Alessandro

s'intende fatta conforme a ciò che i sacri canoni prescrivono intorno alle chiese de' regolari con cura d'anime, e quindi gli oggetti e le funzioni parrocchiali avranno le proporzioni che ebbero sempre sotto i Barnabiti in quella chiesa dal 1859 sino alle innovazioni di Giuseppe II., ed hanno tuttora nella loro chiesa parrocchiale di Roma, in piena conformita alla bolla *Firmandis* di Benedetto XIV. che per conseguente riguardo al rito s' intende ristabilita la pratica seguita in s. Alessandro nel suddetto intervallo di tempo sino alle novita di Giuseppe II.", Archiepiscopus ipse, qui suarum ovium indolem moresque optime perspectos habebat, firmissime retinebat, eas petitam romani Ritus instaurationem aequo animo accepturas fuisse; secus enim numquam rescripsisset, ut fecit, die 16. Jan. supradicti anni, nulla interjecta restrictione, *si accorda quanto venne dimandato.*

Optandum nihilominus fuisset, ut de decreta per Archiepiscopum romani Ritus reintegratione, priusquam eidem facto inducendae manus admoventur, tum per curiam Archiepiscopalem tum per Clerum, incolae illius paroeciae aptis verbis admonerentur tum de ecclesiasticae auctoritatis interventu tum de nulla quae per eam patrio Ritui irrogaretur injuria.

Quod cum fortasse factum non sit, mirandum minime est, quod turbae, quaerimoniae et clamores sint excitati et animorum contentio eo processerit, ut res vulgari jam coeperit in urbe Mediolani per ephemerides. Siquidem *la Bilancia* n. 13. diei 6. Febr. anni currentis edidit *una rettificazione*, qua *alcuni sacerdoti secolari di rito Ambrosiano* mirantur primo, quod auctori alioquin clarissimo praelari operis: *documenti circa la vita e le gesta di s. Carlo Borromeo* in adnotatione ad calcem p. 511 II. vol., ubi fit sermo

de sollicitudine s. Caroli pro conservatione Ritus Ambrosiani, exciderint verba: „Egualemente or ora quando furono umiliati a Sua Santità il sommo pontefice Pio IX. reclami dei parrochiani di s. Alessandro in Zebadia contro l'innovazione ordinata dal P. generale dei Barnabiti, che si funzionasse in rito romano, i parrochiani furono assicurati che Sua Santità nulla sapeva dell'operato del generale; aver egli piacere che si propaghi la liturgia romana, giammai però contro il voto delle popolazioni;" ac deinde afferentes in medium decretum generalis, quod retulimus, ejusdem agendi rationem tuentur.

Aegre id tulerunt *alcuni parrochiani* di s. Alessandro, qui in officiali ephemeride Mediolanensi die 27. ejusdem mensis abeunt in partes citati auctoris affirmantque, *che la parola innovazione venisse usata da lui per rapporto all'ultima pratica in s. Alessandro da circa trent'anni*, eosque minime sibi proposuisse per supplicem exhibitum libellum, ut de Barnabitarum jure disquirant, *ma solo d'implorare dal Santo Padre la grazia di conservare nella loro chiesa parrocchiale quel rito ch'è una delle più care loro tradizioni, sed a cui non saprebbero rinunciare senza gravissima pena.*

Non vos latet, Emi et Rmi principes, Ritus, Caeremonias atque solemnem apparatus externum, qui in sacris functionibus atque in ipsis divinis mysteriis peragendis adhibentur, habendas esse tamquam eloquentissimam vocem, qua filios suos tacite sed potenter alloquitur sancta mater Ecclesia, qua iisdem fidem, amorem ac reverentiam quodammodo insinuat seu tamquam splendidissimam vestem varietate circumdatam, qua se sponsam Agni et ornatam viro suo intuentium oculis conspiciendam exhibet. Ex quo

fit, ut iis videndis, colendis ac religiose observandis assueti fideles eorumdem mutationem, praecipue, si ea notabilis sit, aequo animo ferre non possint. Hinc scimus ex ecclesiastica historia, Ecclesiam romanam, utpote amantissimam totius catholici orbis matrem, illud semper in more habuisse, ut nullam unquam obsequentibus filiis suis molestiam inferret, si qui alium Ritu a romano discordem profiterentur, dummodo tamen is legitime sit inductus nec errorem contineat aut ad errorem inducere facile possit. *Unaquaqueque provincia*, aejbat s. Hieronymus ad Licinium de inveteratis hujusmodi consuetudinibus et traditionibus, quae fidem non laedunt, *abundet in sensu suo et praecepta majorum leges apostolicas arbitrentur.* Hinc Eugenius IV. Episcopis graecis, qui Florentiae ad Concilium conveniant, ut graeco Ritu celebrarent, benigne permisit. Et ut alios omittam, Clemens VIII. Episcopos ruthenos et Clerum in sinum S. R. Ecclesiae recipiens permisit, ut suos antiquos Ritus observarent.

Silentio autem praeteriri non debet, quod, licet antiquos hujusmodi Ritus Ecclesia romana tanta prosequatur moderatione ac lenitate, attamen multo magis cordi habet ac fervidissime exoptat, ut Ritus romani uniformitas in occidentalibus praesertim Ecclesiis custodiatur, et si fieri potest, ubi non est, inducatur. Hinc ab eadem ecclesiastica historia edocemur, ipsam romanam Ecclesiam nullam unquam effugere sibi passam esse occasionem, qua sapienter et fortiter, aequae ac prudenter ac suaviter variae ex occidentalibus Ecclesiis, sponte ac libenter romanum Ritu, proprio relicto, amplecterentur. Sic Alexander II. et Gregorius VII. omnem adhibuerunt operam, ut eae Hispaniarum Ecclesiae, in quas Ritus, quem mozarabum dicunt, in-